

GEORGICON III

ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra ;
 tum tenuis dare rursus aquas et pascere rursus 335
 solis ad occasum, cum frigidus aëra Vesper
 temperat, et saltus reficit iam roscida luna,
 litoraue alcyonen resonant, acalanthida dumi.

Quid tibi pastores Libyae, quid pascua uersu
 prosequar et raris habitata mapalia tectis? 340
 saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem
 pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
 hospitiiis: tantum campi iacet. omnia secum
 armentarius Afer agit, tectumque laremque 344
 armaque Amyclaeumque canem Cressamque pharetram ;
 non secus ac patriis acer Romanus in armis
 iniusto sub fasce uiam cum carpit, et hosti
 ante exspectatum positus stat in agmine castris.

At non qua Scythiae gentes Maeotiaque unda,
 turbidus et torquens flauentis Hister harenas, 350
 quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
 illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullae
 aut herbae campo apparent aut arbore frondes ;
 sed iacet aggeribus niueis informis et alto
 terra gelu late septemque adsurgit in ulnas. 355
 semper hiems, semper spirantes frigora Cauri ;
 tum Sol pallentis haud umquam discutit umbras,
 nec cum inuectus equis altum petit aethera, nec cum
 praecipitem Oceani rubro lauit aequore currum.
 concrescunt subitae currenti in flumine crustae, 360
 undaque iam tergo ferratos sustinet orbis,
 puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris ;
 aeraque dissiliunt uulgo, uestesque rigescunt
 indutae, caeduntque securibus umida uina,
 et totae solidam in glaciem uertere lacunae, 365